Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25990
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nia subiciuntur nobis. Iste potestas divine no-
minis. Qui ascendit super occasum dominus nomen
illi. Iste proprietas persone. Psalmus lxvii. Et uo-
cabitur nomen eius emanuel. Luce i. Et uoca-
bis nomen eius ihesum. Iste unice persona adoracio-
nale. Ad philippenses ii. In nomine ihesu omne genu
flectatur etc. Iste unice persone significacio cle-
mencie. Psalmus xxvi. Nomen tuum et memoriale
tuum in desiderio anime. Et iste est acceptus huius
nominis nomen in mystica theologia. Ceterum
formaliter accipiendo sic fuit multa nomina dei que
quedam significant essenciam divinam, quedam personas,
quedam proprietates et relaciones et humanitatem quas
diversos modos essendi intelligendi et se habendi, sicut
posicionibus vel de ... et unitate et trinitate dei di-
versimode significant et supponunt, de quibus nomi-
nibus hic non est dicendum. Adhuc ergo ut custodi-
ret legem dei per perseveranciam finalem respi-
ciendo ad divinam supportacionem in temptacio-
nibus, ad subvencionem in tribulacionibus, ad con-
solacionem compunccionis in peregrinacionibus. Ultimo
quasi ultimum et optimum remedium sibi proposuit
et elegit quod super cetera ipsum in finali perseverancia
confirmaret et adiuvaret, scilicet memoriam divi-
ni nominis, id est ipsius recognicionem et invocacionem quia
temptaciones et tribulaciones actus et frequenter
incumbent vel quecumque adversa evadenda vel
vel promovenda oportunitas persuadet, iuxta illud
Psalmus. In tribulacione invocasti me et liberavi te
etc. Memor fui ergo in nocte confessionis et com-
punccionis nominis divine bonitatis ad sperandum
remissionem. Psalmus xxvii. Nomen tuum et memori-
ale tuum in desiderio anime, quia anima mea desideravit
te in nocte etc. Trenorum iii. Bonus est dominus spe-
rantibus in eum anime querenti illum. Iste in nocte divi-
ne inspiracionis nominis divine illustracionis ad ex-
citandum recognicionem. Psalmus. Illustra faciem
tuam super servum tuum salvum me fac in mise-

ricordia tua etc. Iste in nocte penalis afflictionis no-
minis divine supportacionis et confortacio-
nis ad sufferendum. Iacobi i. Beatus vir qui
suffert temptacionem etc. Iste in nocte tribula-
cionis nominis divine potencie et gracie ad liberandum.
Proverbiorum xviii. Turris fortissima nomen domini,
ad ipsam currit iustus et exaltabitur. Unde super
illud Iob xxxv. Ubi est deus qui dedit carmina in noc-
te etc. dicit Gregorius. Carmina in nocte sunt laudes dei
et graciarum actiones in tribulacione presentis vite.
Iste in nocte contemplacionis nominis divine dulcedi-
nis ad consolandum et delectandum. Psalmus. Quam mag-
na multitudo dulcedinis tue domine. Osee xiv.
Memoria eius sicut vinum libani. Et custo-
divi legem tuam, scilicet propter memoriam predicti
nominis, id est ex memoria nominis et recordacione
divine illustrationis ad recognicionem et contri-
cionem et confessionem et divine bonitatis spe ad
sperandum remissionem custodivi legem penitencie.
Psalmus. Delectabor in lege tua et custodiam illam etc.
Iste ex recordacione nominis divine consolacionis
et confortacionis custodivi legem paciencie. Psalmus.
Nisi quia dominus adiuvit me paulominus habitas-
set in inferno anima mea. Iste ex recordacione
nominis divine dulcedinis et delectacionis custodi-
vi legem perseverancie. Psalmus. In eternum non ob-
liviscar iustificaciones tuas, quia in ipsis vi-
vificasti me, id est vite beatitudine letificasti et
delectasti, quia bonorum celestium degustacio et
delectacio in contemplacione est premium perseverancie.
Apocalypsis ii. Vincenti dabo edere de ligno vi-
te quod est in paradiso etc.

.VIII.

Hec facta est michi quia iustificaciones tuas.
Commendacio repetit et repeti-
to commendat perfectum et utilita-
tem consecutam expressis dictis. Hec facta est
michi et subiungit racionem et convenienciam quia et quo-
modo consequi debuit commendando, quia iustifica-